



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. III. Quomodo Simonia committitur in receptione Canonicorum?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

nam non redimatur vana iuris spiritualis jam quasi, sed querendi primum, prout habetur etiam ex c. *Audivimus* 41. & ex c. *Ne Dei* 43. h. 1.

Secundò patet ex c. *Ex diligenti* 17. h. 1. homagium præstare pro beneficio obtinendo, Simoniacum esse, cum res temporalis, obsequia scilicet, pro spirituali detur. Neque huic obest, quòd omnes Clerici, quando recipiunt à Prælati beneficià, fidelitatis juramentum eis præstare debeant, quia per tale juramentum non obligatur Clericus ad servitia temporalia præstanda Prælati, sicuti obligatur per homagium, quo fit vassallus & subditus illius, cui homagium præstat.

Tertiò committitur Simonia, si pro temporali obsequio promittitur beneficium Ecclesiasticum, c. *Cum essent* 12. h. 1. quamvis enim spe obtinendi ab aliquo beneficij, aut præsentationis servire possit alicui aliquis, modò nulla pactio interveniat, ob promissum tamen beneficium obtinendum servire alicui, Simoniacum est, cum sine pacto vendendi taliter & emendi pro obsequio temporali beneficium spirituale, hoc non fiat.

Quartò committitur Simonia in electionibus ad Prælaturas, non tantùm, si pecunia detur pro electione certæ ac singularis personæ, quamvis illa dignissima esset, sed etiam, quando ex pacto dant sibi invicem mutua suffragia, quando pecunia alicui datur, ne consentiat in electionem alicujus (non quidem, quando præcisè datur, ne eligatur indignus, quia ut sic nihil temporale datur pro spirituali, sed procuratur tantùm bonum

Ecclesiæ) quando pecunia datur pro obtinenda confirmatione, præsentatione, &c.

### §. III.

*Quomodo Simonia committitur in receptione Canonicorum?*

**B**ona sua offerre Ecclesiæ, cum pacto, ut recipiatur in Canonicum, & bonis his, ut Canonicus frui possit, dum vivit pro præbenda, Simoniacum est. c. *Tua nos* 34. h. 1. Si verò purè, & sine pacto, bona sua Ecclesiæ quis offerat, & roget tantùm humiliter, ut in Canonicum se recipiant, & sibi hæc bona, dum vivit, pro præbenda relinquunt, receptio talis in Canonicum Simoniacæ non est, (nisi intentio prava offerentis Simoniam faciat) cum in priore casu, ex pacto in Canonicum talis, pro re temporali oblata, recipiatur, non autem in posteriore casu: & quamvis de jure etiam alia prohibeantur in admissione ad Canonicatus, ea tamen multùm urgere, esset damnare receptam in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis nostræ Germaniæ consuetudinem, quæ viget scientibus & tacentibus Episcopis.

### §. IV.

*An electio, presentatio, confirmatio, collatio, vel quævis alia provisio beneficij Simoniacæ, sit ipso jure irrita?*

**E**lectio, presentatio, collatio, confirmatio, seu quævis alia beneficij provisio, per Simoniam facta, non quidem

Zz zz 2